



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLX. In Sabbato Mulier Contracta sanitati restituitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

322 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*
ad alios DEI Amore inflammandos. Ideo subjungit
Christus. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid vo-*
lo, nisi ut accendatur?

MEDITATIO CCCLX.

In Sabbato Mulier Contracta

sanitati restituitur. Luc. 13. v. 10.

PUNCTUM I. *Erat autem docens in Synagoga eorum Sab-*
batis. Et ecce Mulier, quæ habebat Spiritum infirmita-
tis (id est, infirmitatem à malo Spiritu causatam, ut
dicitur v. 16.) Annis decem & octo; & erat inclinata, ut
poterat sursum respicere. Luc. 13. v. 10. Misericordes hæc
Muliere sunt, quorum voluntas ita est inclinata ad
bona terrena, ut eadem semper desiderent, in omni-
bus actionibus intendant, & mentem inter orandum
vel operandum nunquam vel rarò ad DEVM elevent
quibus dici potest: *O curvæ ad terras Anima! An non*
plus, quàm octodecim annis mens tua tali modo est in-
clinata? Adverte autem remedium à Christo adhibi-
tum: Quam cùm videret JESVS, vocavit eam ad se, &
ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit il-
li manus, & confestim erecta est, & glorificabat DEVM.
Sic, quando Christus vocat aliquem ad se, nempe ad
Vitam Religiosam, vel ad Recollectionem animi per
Exercitationes quasdam Spirituales, & quando ma-
num imponit, dando auxilia Gratix, conferendo Be-
neficia, infligendo pœnas, erigitur animus, ut sur-
sum respiciat, per Orationem & bonam Intentionem
mentem elevet, & per Aspirationes ad DEVM Con-
versatio ipsius in Cælo sit.

PUNCT

PUNCT. II. Respondens autem Archisynagogus indignans, quia Sabbato curasset *IESVS*, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. v. 14. Falsum dicit Archisynagogus: sicut enim DEVS semper nobis benefacit, nullo die excepto; sic semper oportet nos operari Opera Bona, & curam gerere Salutis Animæ nostræ. Ne itaque ab hoc finamus nos impediri sinistris aliorum iudicijs, oblocutionibus, murmurationibus, &c.

PUNCT. III. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, & dicit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbati? v. 15. & 16. Sic sæpe homines majorem curam gerunt animalium suorum, ex. gr. equi, illum reficiendo, pectendo &c. quàm tu Animæ tuæ. Erga Proximum verò considera motivum Amoris, quia est filius non tantum Abrahæ, sed DEI Creatoris & Redemptoris.

MEDITATIO CCCLXI.

De Sanato Hydropico.

LUC. 14. v. 1.

PUNCTUM I. Et factum est, cum intraret domum cuiusdam Principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Sic ubique quidem, & semper habemus nostros observatores, præsertim autem apud Principes & præcipuas Personas, atque in mensis ac convivijis Sæcularium. Itaque Boni Exempli

X 2

odorem